

ESTICA  
A. 5085

164.

869

12/108

2  
1264

869

I.462

A5085

Est. 5763

3w Dehn

J. H. Dehn.  
1729, V. 16 Jan.  
Rev.

P E T R I  
F A L C K I I 1

O R A T I O

P R O S V E C O -  
rum Imperio.

3w  
H A B I T A

T U B I N G Æ , I N I L L U -  
stri Collegio, XII. Septembr. Anno  
Christi

---

C I D I D C X I V .

os so

8

Typis Vverlinianis.

ILLUSTRI VIRO,  
DN. AXELIO  
OXENSTIERN,

REGNI SVECIAE SENA-  
tori, & supremo Cancel-  
lario:

BARONI DE FIHOLMEN  
& Tidæn, &c.


Meccœnati & patrono suo  
opt. max.

*Hanc qualemcumq; oratiunculam*

Humilis observantiæ & debitæ grati-  
tudinis testem.

D. D. D.

Petrus Falckius.



5763

4449898A

EPHORVS ILLVSTRIS  
COLLEGIJ,  
IOANNES IOACHIMVS  
à Grüenthall, &c.

L. S.

**R**ETRVS FALCKIVS Calmariâ-Suecus, vir præstantissimus, cum suis nobilissimis discipulis vixit in hoc Illustri Collegio sexquiannum: quo temporis spatio ille ita se gessit, ut modestiam, Virtutisque & Doctrinæ amorem facile probaverit universis. Cum autem primo quoque tempore sit in patriam rediturus, & jam ad iter parârit omnia: voluit ante discessum oratiunculâ aliquâ cum toti Reipub. literariæ studium & officium debitum, tum etiam nominatim carissimæ patriæ suæ, ut & alijs patronis, benefactoribus, fautoribus, atque amicis animi grati promptitudinem testari. Habebit illam Falckius die crastini, horâ antemeridianâ octavâ. Vos itaque illustres Collegij Studiosi quicumque, in Athenæo comparete frequentes, & Oratori atq; commilitoni vestro auriû operam præbetelubentes, sicque cum insigni illius caritate, benevolentia, & gratitudine vestrum adfectum & studium laudabiliter coniungite. P P. sub Illustri Collegij sigillo, XI. Septembr. ANNO CHRISTI, 1614.

ORATIO

1.



ORATIO

Pro Suecorum Imperio.

**Q**UÆ nuper abs te, magne Princeps, FRIDERICE ACHILLES, Dux Vvürtembergia, de provinciarum Europa inter ipsas principatu, in hoc Illustri Collegio, maximo Auditorij cum applausu habita est Consultatio: ea ita affectus etiamnum possidet meos, ut si alium quemcumq; præconem, me certè habeat admiratorem summum. Quæ enim vel particula illius est, in qua argumenti majestas non eluceat? Quæ rerum gravissimarum undiq; occurrit copia? Quæ elegantiarum ubiq; apparet messis? Qui ad Rempublicam capeffendam, & ambabus ulnis, quod a junt, amplectendam, undiquaq; se produnt stimuli? Mihi, Domine, mihi aures adhuc tinnunt à pulcherrimis & elaboratissimis orationibus, tot inclytorum Principum, tot illustrium  
A 3 Baronum,

Baronum, tot aliorum ordinis Equestris viro-  
rum juvenum lectissimorum: Et, ut rem ipsam  
eloquar, illi oratores mihi salivam movent, ut  
Et ego in hac literarum libertate aliquid pro in-  
genij modulo dicam; Et cum primis Patria mea  
dignitatem, quae in ista Europa provinciarum  
comparatione praeter omnem meam expectatio-  
nem alto silentio praeterita est, pro virili tuear;  
atque ita demonstrarem, SUECIAM meam di-  
gnissimam esse, quae non modo ceteris Europa  
provincijs conferatur, verum etiam multis lon-  
gè praefertur. Quanquam autem arduum hoc  
negotium tutius relinquendum esset ijs, qui omne  
studium Et industriam indefatigabili labore  
Reipublicae semper consecraverunt, Et indes il-  
lustri nominis gloriâ communi hominum saluti  
felicissimè adhuc operantur: à quorum fastigio  
uti me procul admodum abesse ingenue fateor,  
ita meam dicendi imperitiam haudquaquam  
excuso: tamen quia omnes omnium charitates  
patria una complectitur,

Cuius amor longè ratione valentior omni est;  
malui sanè vel cum aliqua existimationis iactu-  
ra orationem meam iam esse inconditam, hiul-  
cam,

cam, asperam, horridam, humilemque, sed eandem  
nihilominus Patria meritis de vincam, quam  
planè nullam. Vbi Agesilai Lacedaemoniorum  
Regis censura mihi reformidanda non est, quâ  
Rhetorem res exiguas verbis mirificè amplifi-  
cantem sutori malo, qui parvo pedi magnos in-  
dueret calceos, acutè comparabat: cum potius ea  
cura non parùm me reddat sollicitum, ne res au-  
gustissimas nimis angustè Et pressè videar propo-  
suisse. Verùm in tua, excelsissime Princeps, gra-  
tia, Et totius illustrissimae huius concionis bene-  
volentia, spem illam colloco multò maximã, fore,  
ut me balbutientem gravatè audiat nemo, Et  
quantò plus favoris ob accisas eloquentia vires  
decedit, ( decedit autem plurimum, ) tantò ab  
humanitate ac facilitate auditorum accessio  
maior, Et audientia benignior sit futura.

Quid verò, auditores, dicam primum? quid  
dicam postremum? An Suecorum imperium  
forsitan propterea in Consultationis illius cen-  
sum venire non potuit, quia tam arctis finibus  
sit conclusum: ut si quis Sueciam cum reliquis  
Europa provincijs componere voluerit, eadem  
operâ

operâ is catellum cum elephanto, aut agellum cum precipuo latifundio, aut aliam rem parvulam cum maxima & amplissima componere possit. Multò aliter se res habet, auditores. Et quemadmodum in ridiculis somniis nulla turbat animum agritudo; cum vigilantibus inter risum, cachinnos, atq; iocos mox evanescent: ita omninò illa de Patria mea exilitate coniectura me adficit, propiorq; sum irridenti, quàm refutanti. Consulamus tamen orbis terrarum accuratissimas, quæ passim extant, descriptiones, & nullo negotio comperiemus, Suecorum imperium à Calmaria antiquissima & munitissima Gothorum civitate, in qua mihi origo, domus & familia paterna est, in extrema usq; Septentrionis per infinitos quasi regionum tractus excurrendo, tot latitudinis gradus, ut periti artifices loquuntur, colligere; quot nec Italia tota cum suis insulis, nec Germania, nec Gallia, nec Hispania, imò nec Hispania & Gallia coniunctæ capiant. Ad cuius rei clarissimæ demonstrationem ne autores multos, veteres & novos, omniq; exceptione majores, frustra coacervem: unius Joannis Boteri, Itali, autoritas suffecerit; qui in

Mundo

Mundo Imperiorum scribit in hanc sententiam: Rex Sueciæ dominatur in Scandia, quæ Daniâ latiùs patet. nam à finibus Scandiæ ad Lappiam usque computatur iter quadraginta quinque dierum, & amplius: (si contano più di quarantacinque giornate) & æstimatur hæc terrarum pars Italiâ & Galliâ major. Ex quo cui vis liquet, Sueciâ capacitare suâ singulas Europæ provincias vincere, cedere nulli.

Neq; verò magnum hoc Septentrionis imperium naturam habuit novercam; quæ illud desertis tantum, aspretis, dumetis, aut & bestiarum duntaxat cubilibus damnârit, in quibus egestas, famesq; & horror rerum potiantur: sed omninò hunc alterum orbem terrarum, uti olim appellabatur, natura parens tot felicitatis opibus locupletavit, tot maternæ indulgentiæ exemplis illustravit, ut verba me deficiant, quibus beneficiorum amplitudinem explicare possim. Laudent Hispani agrum Hispalensem, quem omnes terrarum alias fertilitate superare iactitant; deprædicent Itali Campaniam suam, quam sine pari esse gloriantur: & alij alias bonæ fortune

B

na sedes

na sedes multis verborum pigmentis exornēt, & extollant; dummodò noverint, in Suecia esse Gothiam, & Finlandiam, quæ ut significant, ita quoq; sunt regiones diuina atq; bonæ; & ibidem tantam esse frumenti annonæq; copiam, ut non solum mendicus inter Suecos vix reperiat, & hospites ferè gratis hospitio excipiantur; verum etiam Belgarum, Anglorum, Gallorum, quorum naues frumenti & aliarum omne genus mercium asportandarum causâ huc appellant frequentissimæ, desiderio cumulatè satisfiat. Equidem in nullo Europa Regno rerum vitui necessariorum proventus est abundantior: nullibi est agricultura opimior: nullibi venatio feracior: nullibi piscatus uberior. Quid multis? Quicquid volat, quicquid natat, quicquid repit, aut crescit; ipse aër, ipsa aqua, & terra ipsa, felicitati Suecorum ancillantur. Quin etiam ipsa montium viscera grande pendunt vectigal, cum plumbi, ferri, cupri, aris, argenti, auri, & cæterorum metallorum diuitias cottidiè inestimabili censu effundant: ut in hac incomparabili opulentiâ res minimè debeat videri mira, quæ tamen Italos penè in stuporem coniecit; Regem Suecorum

Suecorum circiter octo tormentorum bellicorum millia, quorum maxima pars ex ære conflata est, habere. Verum enimverò hoc copia cornu, & incredibiles Suecorum opes, orationis excursu, quod aliorum vestigijs insistens facillimè poteram, nunc non dilaudo longiori. Sicuti enim Principem, Regem, aut Imperatorem nemo rectè aestimat ex purpura, gemmis, pretiosis vestibus, aurea supellectile, agminibus stipatorum, & reliquo pompa aut etiam luxuria ministerio; sed potius in eo considerandum est, quibus virtutibus polleat, quâ prudentiâ Rempubl. gerat, quâ dexteritate iustitiâ administret, & quibus artibus salutem civium procuret & stabiliat: ita ab illis externis bonis singularem quandam prerogativam patriæ meæ non mutuo; maloq; jam in peculiare quædam popularium meorum dotes, mores, & Reipubl. splendorem, quàm brevissimè exspatiari; & verissimarum laudum tantum exercere veluti spicilegium; ut Suecica magnitudinis amici adgnoscant libentes, & osores intelligant in viti, eam esse illius præcellentiam, ut cum optimis & nobilissimis quibusque Europa provincijs

pro palma in certamen descendere jure merito possit.

Quæ autem in imperio aliquo beatitudo potest esse illustrior ipsâ imperantium ac parentium fidâ concordia? Ecquid illâ jucundissimâ animorum harmoniâ utilius, sanctius, divinius excogitari; ecquid vel votis conceptis optari potest majus? Sapienter enim Agesilaus Rex cui-dam interroganti, quamobrem Sparta mœnibus non cingeretur? civitatem non saxis lignisue, sed incolarum virtute communiri oportere, quos si uniat concordia, inexpugnabiles fore respondit. Et Mycipsa Rex ultimo elogio filios suos ad concordia adfectu planè paterno adhortatus est, aureis semper literis consignandum oraculum inculcans istud: Concordiâ parvæ res crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur. Nam ut singula hastilia haud difficulter frangas, quæ colligata rumpere nequeas: sic populum dissensionibus intestinis distractum superare est proclive, quem sincero animorum conjugio fœderatum dividere, nedum vincere, sit laboris Herculei.

At ubi hodie est concordia? Quotusquisq;  
populus

populus veneratur hanc Divam? Inspicite, auditores, hanc vestram Romani Imperij sedem Germaniam: quàm languet? quàm vacillat? quàm nutat? Quot in sinu suo alit concordias discordias? quæ nutrit discordias concordias? Ut vitis refugit brassicam, quercus abhorret ab olea, multo autem magis à nuce juglande: (vitis enim cum omnia complectatur, solam brassicam declinat: quercus si in scrobem oleæ depacta fuerit, emoritur; eadem & juxta nucem juglandem inarescit) sic ferè inter Germanorum ordines pertinax gliscit dissidium, quod nescio an præsens temporum conditio diu sustinere possit.

Discordia demens  
Intravit coelos, superosq; ad bella coëgit.

Deus, Deus vertat Remp. in statum meliorem!  
Quod votum nationi totius orbis illustrissima debeo. Deus, Deus ille voto meo addat pondus!  
Intuemini, auditores, Hispaniam quoq; quàm ibi adhuc sub cineribus latent & vigent capitulum odiorum igniculi inter Lusitanos & Castellanos, mox in apertam eamq; crudelem bellorum flammam erupturi? Contemplamini Galliam: quot putatis in tam portentoso corpore ab-

scendi cohortes parricidales? quot jugulis regum  
parari sicas? quot diras ferruminari Ligas? Cir-  
cumferte verò oculos in omnes Europa provin-  
cias: quanam libera est à factionibus? qua est  
immunis à scissuris?

At qui Suecia mea, mea charissima Patria,  
videtur jam una in communi hac, & horrenda  
ultimorum discriminum tempestate superesse,  
exfors; videturq; sola concordia fidem dedisse,  
& dixisse sacramentum. Rex enim GUSTA-  
VUS ADOLFUS, qui post excessum divi  
patris CAROLI, Principis sapientissimi, &  
bellatoris sine comparatione magni, gubernacu-  
la Reip. felicissimè moderatur, & cum a vitis at-  
que majorum virtutibus, etiam proprias lauda-  
tissimè sociat, jam dudum didicit & docuit; illius  
demum Principis magnitudinem stabilem fun-  
datamq; esse, quæ subditi omnes tam supra se esse,  
quàm pro se sciunt; cuius curam excubare pro  
salute singulorum atq; universorum cottidie  
experiuntur. Quare solum amorem civium suo-  
rum Rex inclytus fidiſsimam existimat custodi-  
am, & arcem inaccessam, & tutissimum muni-  
mentum: cum frustra se terrore succinxerit, qui  
sept us

septus caritate non fuerit. Sic & populus Sueco-  
rum quoniam infinitis argumentis habet com-  
pertum, Serenissimum Regem suum non tam  
sibi præesse, quàm prodesse: & hoc unum agere,  
ut Resp. sit opibus ampla, copijs locuples, virtute  
instructa, ille tanto heroë, imò patriæ patre pro-  
cedente, non tanquam malum aliquod aut no-  
xium animal è cubili prosilierit, diffugit, sed tan-  
quam ad clarum & beneficum sidus certatim  
advolat, obijcere se pro isto numine tutelari suo  
mucronibus insidiantium paratissimus, & sub-  
sternere corpora sua, si per stragem illi humanam  
iter ad salutem sternendum sit. O felicitatem  
nullâ dicendi copiâ enarrandam! O gluten Re-  
rum publicarum sanctissimum! O

felices ter & amplius,  
quos irrupta tenet copula: nec malis  
divulsus querimonijs  
supremâ citiùs solvet amor die!

Quid autem, optime Princeps, huic Suecorû con-  
cordiæ in omni Europa est par aut simile? An non  
ob illam unicam mereatur Suecia, qua si nõ Eu-  
ropæ provinciârû Princeps vocanda, minimum  
tamen inter principes provincias referenda sit?

At enim cum bona venia tua, Prin-  
ceps,

ceps, vestra bona gratia, auditores spectatissimi, Reip. patriæ decora exponam paulò latius, & diducam per partes aliquas, ut eminentiam illius percipiatis manifestius. Nemo vestrum ignorat, in omni Rep: primum esse τὴν τοῦ Θεοῦ ἰσχυρὰν ἐπιμέλειαν, curationem rerum divinarum. Siquidem Religio & timor Dei solus est, qui custodit hominum inter se societatem; & sine hoc fulcro non Princeps officium suum, non subditi facient; sine eo non erit fides, non justitia, non virtus; sed fraus, licentia, protervitas, & uno verbo, confusio hominum ac rerum. Quanquam & hinc diligenti cautione opus est, ne excludendo Atheismum alibi sese insinuet heresis ac superstitio, & irreligionem sequantur religiones; quæ ut secum inferunt novos Deos, ita civium multos impellunt ad mutationem rerum; unde conjurationes, seditiones, conciliabula existunt, pestes Reipublicarum. Verùm si in singulas Europæ provincias jam inquirere velimus, & de Religionis cura examen juret instituere, ecquæ illarum stabit aut abibit inculpata? Italiam conspurcat impietas, si ve ἀσεβεία; quæ ne Deum timeat, spernit, itemq; præmia omnia futura aut

pœnas:

pœnas: Hispaniam infamam Mahometani & Christiani novi: Galliam turbant dissidia & tumultus inter Huguenotas ac Pötificios ferme perennes: Germaniam hanc dirimunt & infestant Anabaptista, Suencoseldiani, Zuingliani, Huberiani, Pseudo-Catholici, & alij opinionibus inter se scissi: Poloniam, Hungariamq; furialiter arietant Arriani, Photiniani, & sectæ aliæ: Britanniam tremefaciunt Pulverarij Catholici, & nequam Puritani. Et quid restat in tanto corpore ab hæresum, schismatum, & impietatis gangrena sanum? Quod Europæ membrum superest integrum, aut nullis cicatricibus deforme?

Iterum verò, auditores, una & unica Suecia mea dulcissima præ omnibus Europæ provincijs bellè habet, & pancraticè valet. Illa enim Religionem castè colit, & colit unicam, eamque purissimam, Catholicam, Evangelicam, Lutheranam; adeoq; in toto amplissimo imperio, nulla est provincia, nulla civitas, oppidum nullum, pagus nullus, cætus nullus, (quicquid alij rerum nostrarum imperiti sentiant, aut garriant in contrarium) ubi illa divini cultus puritas non

C observe-

14  
O R A T I O  
obseruetur exactissimè. Quid? quòd Reges  
quoq; nostri, ne religionis sinceritas ullo contagio  
malo contaminaretur, & ut undiq; sibi constans  
traderetur posteritati, maturo consilio provide-  
runt, officinas artium & doctrinarum passim  
adificando, in quibus pietatis & virtutum fun-  
damenta jacerentur: quæ ut auctibus egregijs  
mirificè florent splendentq; ; ita magnificentia  
Opt. Max. Regis GUSTAVI ADOLFI  
pollicetur fortunarum & dignitatum incremen-  
tum: sicq; propediem Suecicæ Academiæ Germa-  
nicis, Gallicis, & Italicis, palmam ambiguam  
facient. Circumspectè tamen admodum Reges  
nostri civium literaria studia certis limitibus  
concluserunt, ne fortè illi peregrinis in locis cre-  
dendi arbitrium nimis temerè & latiùs justo ex-  
tenderent, atq; postea reduces domi dissidiorum  
faces imprudenter excuterent in ipsam Rempu-  
blicam. Propterea & Studiosis in exteris ter-  
ras proficiscentibus ante aliquot annos severè  
interdictum fuit, ne illi in Academijs alienam  
Religionem profitentibus literis operam darent.  
Quod ipsum si alibi quoq; attenderent magistra-  
tus, plus jam multis in locis pietatis & fidei, mi-  
nus

PRO SUECORVM IMPERIO. 15  
nus etiam periculi & apostatarum esset. Con-  
scientiam autem appello jam vestram, audito-  
res: an Suecorum natio hæc supremâ Religionis  
prærogativâ omnes alias orbis nationes non an-  
tecellat? & an honorum ducatus illi abjudica-  
ri possit?

Cæterum missis hisce, quid dicam de filia Re-  
ligionis, Justitia? Hæc in imperio sive Rep. qua-  
cunq;, potissimum expeditur salutari legum præ-  
scripto, & officio magistratum. Legum qui-  
dem necessitas nullibi non in aprico est: cū sine il-  
lis nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec ho-  
minum univèrsam genus stare, nec rerum natu-  
ra omnis, nec ipse mundus possit. Et si leges in  
repub. ut medicamenta esse debent, quæ nec mul-  
ta, nec varia probantur. Et Plato verissimè  
affirmat: quod ubi plurimæ leges, ibi & lites,  
itemq; mores improbi. Gallia, Hispania, Italia,  
Germania, hoc non sine gemitu animadver-  
tunt: quæ cum Romanorum legum legionibus,  
& suis statutis atq; decretis, quibus opidatim,  
pagatim, populatim, velut obsidentur, accepe-  
runt immensam litium multitudinem, circa  
quas maxima pars hominum occupatur. Alij  
C 2 enim

enim iudicant, alij instruunt, alij agunt, & qui miserrimi sunt, eas habent. Sæpè una aliqua lis Metonis annum tenet: quod fit involucris legum, fit sordibus advocantium: & istæ compendinationes ad questum & lucellum eunt: per Symplegadas navigatur Colchos & ad aureum vellus. De alijs locis nihil dicam: de Spira tantum huc repetam, quod dixit alius: Spira nimirum ita frequentes esse lites, ut ibi spirent, rarè autem exspirent. Pariter, & magnopere profectò interest Reipublicæ constitui Magistratus, si ve leges loquentes, qui jus dicant, & iustæ decernant. Cum enim Princeps suâ scientiâ non possit cuncta complecti, nec unius mens sit tantæ molis capax; omninò in partem curarum alij sunt admittendi viri fidi, rerum hominumque periti, qui recta & utilia suggerant, ad honestatè ducant, & jus suum cuique tribuant. Sed in plerisque Europæ provincijs etiam hac in re graviter peccatur; passim rebus publicis ex stupenda magistratum copia & iniquitate, & cum primis argentæ angina laborantibus, & tantum non animam agentibus. Et quid verbis opus est? Inter tot Consiliariorum myriades, inter tot Senatus, tot Parlamen-

ta, tot Cameras, tot Rotas, tot Consistoria, tot Consilia, ipsa iustitia non rarè convellitur, laniatur, rapitur, prosternitur: in cruces, furcas, & rotas agitur.

Neglecta terras fugit, & mores feros,  
Hominum cruentâ cæde pollutas manus,  
Astræa virgo, siderum magnum decus,  
Cupido belli crevit, atque auri fames,  
Totum per orbem maximum exortum est malum,  
Luxuria victrix orbis immensas opes  
Jam pridem avaris manibus ut perdat, rapit.

Atqui & hoc nomine Suecia mea rursus primas meretur: quæ ita Iustitiæ regulam tenet, ut reverentia disciplina eius neque nimiam negligentiam communitate despecta vilescat, neque severiori atrocitate durata gratiam humane amabilitatis amittat. Leges enim Romanorum, ut & imperium eorundem nunquam passa est: sed habet leges proprias, easque paucas & breves, æquitate temperatas, nullis cupiditatibus pervias, & quas nemo nisi cum sua certa perniciæ commoveat. Sic ubi autem quid legibus illis expressè non sit definitum, bonorum virorum statur arbitrio. Quamvis interdum & animata lex, Rex noster, cum iustitia ipsa clementiam sapienter committat: cumque omnia is sciat,

non omnia exsequitur, parvis peccatis veniam,  
magnis se veritatem commodat; nec poenâ sem-  
per, sed sapius poenitentia contentus. Et nonne  
Poeta versus sunt sapientia genimen?

Pulchrum eminere est inter illustres viros:  
Consulere Patriæ, parcere afflictis, ferâ  
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare,  
Orbi quierem, seculo pacem suo.  
Hæc summa virtus, petitur hæc cælum viâ.

Quam viam unâ cum sapientissimo & clemen-  
tissimo nostro Rege ejusdem administri, Regni  
Senatores illustrissimi & integerrimi, terunt,  
fidelissimè: quibus certè nihil est antiquius ipsâ  
Reipub. salute, nihil prius ipso Legum vigore, ni-  
hil majus ipsâ Religionis gloriâ, nihil gratius  
ipsâ subditorum omnium incolumitate; nihil de-  
niq; sanctius ipsâ Regis autoritate, & majesta-  
te. Et cur in ornatissimum hunc confessum non  
introducâ illustrem Baronem, Dn. A X E-  
LIVM OXENSTIERN, Regni præ-  
clarissimum sidus, & Cancellarium, Suecorum  
Papinianum, qui Virtutem & Doctrinam non  
solum in contubernium, sed etiam eas purpurâ  
indutas, auro gemmisq; redimitas, in ami-  
citiâ non nisi morte dissolvendam recepit?  
Cur

Cur non nominem etiam nobilissimum vi-  
rum JOANNEM SKYTTË, magni  
Regis nostri Consiliarium prudentissimum; qui  
scientiarum orbem mente complexus jamdu-  
dum meritis famam sibi fecit tributariam? Et  
cur non reliqua Reipub. columnina adjungam?  
Quorum tamen catalogus quia est prolixior, &  
virtutes sunt plures atque majores, quàm ut in  
hanc dicendi parsimoniam includi debeant, ideo-  
que officium in occasionem commodiorem diffe-  
ro. Interim verò salve Suecorum regina, Justi-  
tia, & salve aeternum: siquidem tu es pax popu-  
lorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, muni-  
mentum gentis, cura languorum, gaudium ho-  
minum, temperies aëris, serenitas maris, terræ  
fecunditas, solatium pauperum, hereditas filio-  
rum, & spes beatitudinis futura. Deum im-  
mortalem! quanta hæc est bonorum congeries?  
quanta sunt felicitatis illius divitiæ? Placent  
sibi Britanni; qui sub imperio optimi & nun-  
quam satis laudati Regis JACOBI novâ  
inter se necessitudine arctius devincti sanctissi-  
mæ concordia nomen intelligere incipiunt. Hi-  
spani potentia confidentia cristas erigunt paulò  
altius.

altiùs : qui etiam *Europa* imperium moliri dicuntur. *Belgæ* Confœderati

sublimi feriunt sidera vertice :

qui maximorum Regum amicitia undique cincti ; florentissimis urbibus , veteranorumque militum legionibus , & præsertim prudentia fortissimi *Mauritij* Comitibus *Nassovij* tuti , item commerciis utriusque orbis beati, non vanè auream libertatem jactant. Ita Germanis sua, Gallis sua, Venetis sua, sua alijs populis *Respublica* ob multas & graves causas solet esse amabilis & admirabilis. Sed quæcunque prosperitatis & bonæ fortunæ dictatura regnet alibi : *Sueci* tamen in domestica sua felicitate nullis terrarum orbis nationibus invident, nec causas habent, cur illud *Poëta* usurpent ;

Fertilior seges est alienis semper in agris,  
Vicinumque pecus grandius uber habet.

Hic ego, auditores, si orationis vela explicare, & quasi aperto in vectus pelago per cætera *Reip.* *Suecorum* admiranda decurrere instituam ; vereor, ut portum facile consequi possim. Quod ne cum vestro fiat tædio, impræsentiarum supersedebo, & tantum de Fortitudine *Suecorum* ali-

aliquid subjungam. Hæc autem, quamcunque temporum seriem expendam, fuit semper insignis, & undique laureata. Quis enim ita in veteri memoria est hospes & peregrinus ; qui non *priscorum Gothorum*, qui sub *Berico* Rege primum è *Suecia* tanquam apum examen eruperunt, res fortiter gestas, si minus è scriptorum monumentis cognoverit, at auditione aliquà certè acceperit ? Quis nescit *Gothos* olim ubicunque pedem posuerunt, ibi & vicisse ? Quas *Europa*, *Asia*, & *Africa* provincias non oppleverunt victoriis, decoraverunt trophæis & triumphis, nobilitaverunt coloniis ? Quem fugit censura & iudicium Imperatoris *Caroli V.* qui è *Suecia* ac ditionis *Gothicæ* tractibus totius *Europa* exortam nobilitatem seriò dictitare solitus est, sibiq; id laudi duxit ? Hodie autem, quis hostis fortitudinem popularium meorum æquat ? *Furiis* licet agitatus trux *Moschus* cum numerosissimo incurrat exercitu : *Polonus* sanguinolentus crudele odii sui virus ejaculetur : *Danus* etiam nescio quibus stimulis punctus arma induat : & alii hostes dira moliantur : Quid tum ? *Suecia* mea mediis in undis tranquilla, mediis in periculis constans, propè omnia bella

victoriis, & clade pudoreq; hostium finit: tam felici rerum successu, ut omnibus suis membris integra, jam fruatur domi profundâ pace, vicinis omnibus aut fœderatis, aut Suecicæ virtutis terrore ad modestiam coactis.

Et si pulcherrima Suecicæ fortitudinis facinora tantum in uno atq; altero heroe vel verbulo attingere velimus: Quis est ille Princeps Steno Sture senior; ille, qui nomine regio coronâq; qua Regni Senatores supplicii cultu frustra offerebant, repudiatis, civis & infimorû civium amicus ac frater vocari maluit? Annon ille tot milites, quot & cives habuit? Annon ille Christiernum I. & Joannem, Danorum Reges, Basilium item magnum Moschovitaram Ducem, aliquoties vicit, fugavit, & multis cladibus adflixit? Quis est ille Hemmingus Gaddus, ille Episcopus Lincopensis? Annon ille, ut regni salutem contra Danorum machinas & insultus tueretur, infulam galeâ, baculum gladio, togam peltâ fortiter commutavit; omnibusq; Suecorum hostibus se reddidit formidabilem? Quis est ille Princeps Suanto; ille, qui in familia sua nullû patiebatur mimum, nullum

scurram;

scurram; qui acerrimo odio insectabatur obretatores, adeo ut si quem absenti maledicere inaudiret, continuo absentem vocari, & huic jam presenti denuò illum mordacem maledicta suorâm proponere juberet; qui sic aversebatur graves subditis exactiones, ut rectè existimaverit, Sueciam tam opulentum esse regnum, ut eius Princeps sine ulla populi injuria satis magnificè vivere possit? Annon autem & ille quoque Joannis & Christierni II. Danorum Regum nefarias molitiones sæpius compescuit, & extinxit? Quis verò est ille GUSTAVUS ERICSONIUS; ille, qui contra jus gentium à Christierno II. Danorum Dionysio in Daniam abreptus, furcamq; ante hospitium paratam sibi, & plures mortis imagines intueri coactus est, sed qui ex captivitate post infamem illam ac detestandâ perfidiâ patratam à Christierno Stocholmiæ lanienam mutato habitu, & plebeij hominis veste sumptâ feliciter evasit? Annon ille pereuntis patriæ se vindicem professus bellicosissimos suos Dalekarlos factionibus Danorum masculè opposuit? Annon ille tyrannide externâ patriam brevi temporis spatio

D 2

purgavit,

purgavit, libertatem communiuit, Rempubli-  
 cam corroboravit? Annon ille ob tanta meri-  
 ta concordibus omnium Suecia & Gothia ordi-  
 num suffragijs Rex electus est? Non lubet  
 patientiam vestram, auditores, fatigare ulte-  
 rius, ut Gustavi filiorum JOANNIS &  
 CAROLI, atq; reliquorum immortalium  
 heroum virtutes spectetis: quos sanè Romano-  
 rum Romulo, M. Marcello, Scipionibus; aut  
 Græcorum Epaminunda, Agesilao, Themisto-  
 cli; aut Germanorum Carolis, Ottonibus, Fri-  
 dericis, conferendos esse nemo negaverit. Nec  
 quicquam edissero amplius, nisi ut aeterna cœle-  
 stis numinis maiestati hymnos gratiarum vo-  
 veam, & humili mente fundam preces, ut Sere-  
 nissimum & potentissimum Regem nostrum  
 GUSTAVUM ADOLFUM, accu-  
 ratissimum heroica virtutis exemplar, cum illu-  
 strissimis Regni proceribus & toto Suecorum po-  
 pulo clementissimè conseruet, & tantis Patriæ  
 bonis concedat perpetuitatem.

Ex his admodum paucis colligere & judi-  
 care potes, inclyte Princeps, FRIDERICE  
 ACHILLES, Dux Vvürtembergia, num  
 patria

patria mea Suecia sit tanti, ut inter principes  
 Europa provincias sibi possit vendicare locum?  
 Quod totum negotium tamen tibi, Domine,  
 ponderandum atq; censendum submitto.

Antequam vero hic ex cathedra descen-  
 dam, meminisse iuvat beneficiorum, mihi &  
 meis nobilissimis discipulis Axelijs de Göx-  
 holm in hoc Illustri Collegio prestitorum. Effla-  
 gitat hoc officium debita meritis gratitudo &  
 pietas. Inprimis autem Serenissimo Principi,  
 Domino JOANNI FRIDERICO,  
 Duci Vvürtembergia, Illustris hujus Collegij  
 Patrono & Conservatori benignissimo pluri-  
 mum nos debere disertè testamur; quòd is ali-  
 quam Collegij partem tamdiu nos esse, & sua  
 gratiarivulum in nos tam largè derivare vo-  
 luit: pro quo utinam vel cum rustico illo animi  
 promptitudinem declarare possemus; qui videns  
 ad Regem Artaxerxem varia donaria deferri,  
 nec quicquam habens, quod ipse largiretur, u-  
 tràque cavâ manu haustam e proximo flumine  
 aquam Regi non adversanti obtulit. Magnus  
 nobis, mihi credite, mei auditores; magnus nobis  
 universis, quicumq; estis Illustris Collegij Stu-  
 diosi,

diost, magnus inquam, in tanto Principe obvenit creditor; quem nos omnes, nisi omni obsequio, nisi omni cultu honoremus, ingratis simus. Quare omnes eniti decet, & sic in Virtutes & Literas creditum collocare beneficium, ut serenissimum Principem nunquam poeniteat credidisse.

Deinde & tibi, excelsæ Princeps, FRIDERICE ACHILLES, Dux Vvürtembergiæ, multis modis obstrictos nos esse profiteamur non illibentes: & quia nunquam tibi gratiam referre possumus, ut meritis es de nobis, nostra hæc una semper erit cura, ne tanto beneficio, tamq̃ singulari tanti Principis favore, indigni, aut ingrati unquam judicemur.

Quid autem tibi, generose & magnifice Ephore Illustris Collegii, Dn. Ioannes Ioachime de Grüenthal? quid tibi, nobilissime & strenue vir, Principis Friderici Achillis Ducis Vvürtembergiæ, aula Magister, Dn. Nicolae de Sackirch? quid vobis amplissimi & clarissimi Domini Professores, debemus? Benignitatem vestram, quæ in nos fuit maxima, cognoscite; adfectum nostrum vobis animum de vin-

Etum

Etum agnoscite, & defectui hic & alibi agnoscite.

grates persolvere dignas  
non opis est nostra.

Non minus verò, commilitones Studiosi quorumcunq; ordinum, multis nominibus & titulis collaudandi, Barones, Nobiles, Praefecti, Praeceptores, non minus in vestro are sumus, sed & omninò permanere cupimus, cum perpetuo tamen gratitudinis fœnore. Vos omnes, & alij cives Illustris Collegii quicunq;, si fortè lapsi sumus, culpam, quaeso, condonate, & si meruimus, nostri memoriam servate: & valete.

SEQUEN-

SEQUENTIBUS CAR-  
minibus

PETRO FALCKIO

benevolentiam & amorem testari volue-  
runt Amici.

I.

Epigramma

AD REVERENDVM, PIETATE ET DO-  
ctrinâ ornatissimum virum,

Dn. PETRVM FALCKIVM,  
AMICVM SVVM CHARISSIMVM  
Tubingâ abiturientem.

Mî tua cuncta placent, longè charissime PETRE,  
FALCONIS meritò nomen & omen habens.  
PETRVS enim zelo, sed acutus lumine FALCO  
Jure potes dici: sic tibi nil deerit.  
Nil tibi sic deerit, quò Christi, tempore quovis,  
Utiliter possis adificare gregem.  
Perge domum, Angelicâ felix comitante catervâ,  
Cum tibi commissa NOBILITATE piâ.

Αὐτοῦ ἔγραψεν ἠμῶν ἀγαπῶντος ἀποχαιρετικῶν  
causâ,

Andreas Osiander D. Academiae Tubin-  
genſis Cancellarius & Ecclesiae Præpo-  
ſitus. 10. Septemb. An. 1614.

Omnia

I I.

OMnia falco videt: quin per videt omnia falco:  
Solis & in lumen lumina falco jacit:  
Omnes vincit aves celso artificiis, volatu;  
Ardea, quantum vis ardua, victa cadit.  
Tu, FALCO, ingenij sic falco es: lumine mentis  
Scrinia Doctrinae sic penetrare soles:  
Sic quoque magnarum mentis pernicious alis  
Ardua Virtutum vincere cuncta soles.  
Gratulor, an sileam, FALCO? voto omnia dicam:  
O vivat gentis gloria FALCO suae!

Thomas Lanſius, J.C. & Professor in Il-  
lustri Collegio Ordinarius.

I I I.

Svecia concessit genitrix tibi lumina vitae,  
Virtutum & studij semina prima dedit;  
Addidit augmentum studio & virtutibus ingens  
Tuischia (sic dicta est patria nostra prius)  
Ingenium excoluit, mores formavit, & artes  
Multigenas docuit sedulitate suas,  
Tramite te recto FALCKI PRÆCLARE supremas  
Ad Phoebi adduxit Pieridumque domos,  
Dum meta evitanda ostendit & omnia tesqua,  
Quæ juga Parnassi, quæque Heliconis habent,  
Antiquâ virtute, fideque sua te fecit & omni  
Doctrinâ instructum, Religionem piam,  
Totum Germanum fecit Germania, totam  
Quam volupe, haut obiter perpenetrasse, fuit.  
Illa TVI MAGNI magnâ te fecit in aula  
REGIS Consultor dignus ut esse queas.

E

Te

Te reducem multò meliorem sistit & omni  
Te patriæ reddit, restituitque tuis.  
Non tua lemniscis, macharier indiga virtus:  
Nota est Germanis, nota futura tuis.  
Nota futura tuis Suecis, sed & utilis imis  
Et primis, columen totius & patriæ;  
Et patriæ, & multis debes Germanidos oris  
Grates, gratus eris semper utrisq; scio.  
Vade bonis avibus, patrios appelle penates  
Sospes, Cognatis vive valeq; tuis.  
Vive tuæ patriæ felix, & vivito amicis,  
Quos tibi Germano junxit in orbe fides..

*Ex Amore ymoſiſ germano in honorem Convictoris ſui  
deſideratiſſimi, ex Nobiliſſimâ Germaniâ, quam per  
longum tempus habuit nutriciam, abiturientis adpro-  
perabat.*

*Tubingæ in Illuſtri Collegio*

Joannes Zabelius..

I V.

**T**E nunc, PETRE, animi fidiſſima portio noſtri,  
Dividet à noſtris pontus & aura plagis,  
Et patrios Nicri mutabis littore Suecos,  
Quâ vaſtum immitis Nerea pulſat hyems.  
Ne tamen obſcurâ lateat ſub pulveris umbrâ  
Laus tua jam pridem digna videre diem,  
Digna videre diem tua laus, lingueq; diſerta  
Eloquium, & genij dexterioris opes:  
Patriti imperium regni, legesq; retexis,  
Et ſacrâ ncn ulla contemnerata lue,  
Quam vel Romuleæ conſagia pellicis adflant,  
Aut paſſim Calvi toxica dira cient.

Sacra,

*Sacra, inquam, & leges patriæ, moresq; retexis  
Vocis & ingenij ſedulitate tui:  
AXELIISQUE tuis laudata munia vitæ  
Arguis, & pulchræ laudis honore prais!  
(AXELIIS, quorum generoſam bellica ſtirpem  
SVECIA progenit nobiliore ſatu)  
Quid dicam ulterius Petre? iſta oratio teſtis,  
Te ſtudio & culti dotibus ingenij  
Omnibus in Tubio paſſim certâſſe Lycæo,  
Illâ etiam canâ ſimplicitate animi.  
Ambigis? en noſter teſtabitur iſta BESOLDVS:  
Notus & Eois notus & Heſperijs.  
Cui locuplete addit ſuffragia propria puncto  
Teutonica laudis buccina LANSIADES.  
Maçte animi probitate tui, morumq; decenti  
Almitie, & mentis maçte vigore tuæ!  
Sic te fama recens ſublimibus inferet aſtris  
Victurum Genio perpetis ingenij.*

Johannes Martinus Raufcherus,  
Suevus..

P R A E S T A N T I S S I M I S V I -  
ris, Dnn.

PETRO FALCKIO, Succo;  
CHRISTIANO Liebenthal / Marchico;  
ABRAHAMO MENCELIO, Sileſio;  
THOMÆ BALTHASARI, Lubecenſi:  
Philosophiæ Magiſtris atq; SS. Theologiæ, Iuriumq;  
Candidatis;

amicis, fratribus atque commenſalibus meis ju-  
cundiffimis.

**E**cquis non ſimiles Studioſos eſſe Planetis  
Diçtiter; hos ſedes non quia fixa capit?

Quos

Quos etenim cernis tecum versarier, illos  
Paulo post alio comperis ire loci.  
Inde fit ut varijs notescant, inde suavis  
Illis cum varijs concilietur Amor:  
Concilietur Amor, quem quis neget esse Planetis  
Absimilem? durat, fixus ubiq; manet.  
Sicut enim errantes passim inter sidera stella  
Nil plane amittunt luminis inde sui:  
Sic licet è nostro conspectu cedere Amicos  
Accidat, atq; ipsos vel petere Indicolas;  
Non tamen his animum mutat, non mutat Amorem  
Quod mutare locum, est idem Amor, idem Animus.  
Sic vos ire MEOS aliò, mutareq; sedem  
Fata jubent: vestrum vos pia vota jubent,  
Vos mihi quos Fatum fidos sociavit Amicos,  
Quos commensales mensa eademq; dedit.  
Noster Amor duret, mutatio mutet Amorem  
Nulla loci; fixus sede sua sedeat.  
Ite bonis avibus: quas votum visere terras  
Expetijt vestrum, visite, adite, precor.  
Visite submotis, quæ possent esse, periclis:  
Cæptaq; fortunet omnia vestra Deus.

Gratulabar

Eberhardus Schultheis; Halâ-Saxo. Tu-  
bingæ, in Collegio Illustri.

F I N I S.

DE AUCTORITATE

REGIA,

ET DE

REGNI SVETICI DIGNI-  
tate atq; felicitate

ORATIO,

IN ILLUSTRIGENEROSISSIMO  
ET SPECTATISSIMO PRÆCLARISSIMO  
morum nobilissimorum & ornatiss. viro-  
rum, studiosaq; juventutis maximo consessu,  
in Regia Sveciæ Salana a. d. 12. Aprilis  
anni 1626

publice recitata

IOHANNES SIMONIO,  
Skyttiano Oratoriæ P. P. &  
ordinario.

UBSALIÆ,

Excudebat Eschillus Matthiæ, anno 1626.